DE
FIDEIVSSORIBVS DOTIS

IN ALMA IVLIA CAROLINA

AVCTORITATE ET CONSENSV ILLVSTRIS FACVLTATIS

IVRIDICAE

AD D. XXVIIII. MARTII MDCCXXXXVIIII.

IN IVLEO MAIORI

PRAESIDE

D. IOANNE FRIDERICO EISENHART

FACVLT. IVRID. ADIVNCTO

FRATRE SVO GERMANO

DISPVTABIT

CHRISTIANVS IACOBVS EISENHART

SPIRENSIS.

HELMSTADII
LITTERIS DRIMBORNIANIS.



L. 2. C. Ne Fideiussores vel Mandatores Dotium dentur

IMP. IVSTINIANVS A. IVLIANO PP.

Generali definitione constitutionem pristinam ampliantes, sancimus nullam esse satisdationem, vel mandatum pro dote exigendum, vel a marito, vel a patre ejus, vel ab omnibus qui dotem suscipiunt. Si enim credendam mulier sese, suamque dotem patri mariti existimauit: quare fideiussor, vel alius intercessor exigitur, vt causa perfidiae in connubio eorum generetur.



DE
FIDEIVSSORIBVS DOTIS.

§. I.

Apud Romanos dos ab vxore marito adferebatur.



Dotem, id eſt, pecuniam ad ſuſtinenda matrimonii onera deſtinatam, a) apud plerasque gentes praeter Romanos vxori, a marito adlatam fuiſſe, quisque intelliget, cuicunque earum mores ac monumenta perluſtrare lubebit. In eo enim earum inſtituta a Romanorum moribus potiſſimum, quod ad matrimonii contrahendi rationem attinet, differebant, quod apud hos maritus ſibi vxorem coëmeret. Et quamuis nouellae vxori a parentibus, fratribus vel conſanguineis aliquid datum fuerit, id tamen ideo fiebat, ne plane expers eſſet bonorum paternorum, quae moribus pri-

ſcarum gentium non filiae, ſed ſoli filii adquirebant, ad quem finem iis aliquid dabatur, quo viri patrimonium augerent. b) Nolumus iam omnium veterum gentium inſtituta & mores recenſere atque copioſius de iſta coëmtione vxorum agere, quum id ſatis ante nos iam ab aliis factum ſit. c) De priſcis Galliae ac Germaniae populis res omni dubio caret, cum hac in re teſtes omni exceptione maiores habeamus, CAESAREM nempe & TACITVM, rerum germanicarum ſcrutatores & ſcriptores fidiſſimos. Ille enim de priſcis Galliae populis haec tradit: d) *viri quantas pecunias ab vxoribus dotis nomine acceperunt, tum ex ſuis bonis aeſtimatione facta, cum dotibus communicant. Hujus omnis pecuniae coniunctim ratio habetur fructusque ſeruatur, vter eorum vita ſuperauerit, ad eum pars vtriusque cum fructibus ſuperiorum temporum peruenit.* Hic autem haec refert: e) *Dotem non vxor marito, ſed maritus vxori adfert.* Omittamus quae de aliarum gentium inſtitutis adferri potuiſſent, cum haec, quae de maioribus noſtris adduximus teſtimonia, nobis ſufficere videantur.

a) *L. 56. §. 1. D. de iur. dot. L. 20. C. eod.*
b) PERIZONIVS *de L. Voconia p. 27.*
c) HEINECIVS *ad L. Iul. & Pap. Poppaeam p. 254.* TIRAQVELL. *de LL. connubialib. gl. 1. P. 4. n. 9.*
d) *de B. G. L. VI.*
e) *de M. G. c. 18.*

§. II.

Cuius rei ratio exponitur.

Sola itaque Romana gens in conſtituenda dote aliam ſecuta eſt rationem, quae in eo conſiſtebat, vt vxor marito iſtam pecuniam ad ſuſtinenda matrimonii onera

onera destinatam adferret. Quare etiam PAVLVS dicit: a) *reipublicae interest, mulieres dotes saluas habere propter quas nubere possunt*, quum indotata vix virum inueniret. Duplicem autem dotis Romanae rationem esse arbitramur, quarum altera in eo posita est, quod apud Quirites vxor maritum & maritus vxorem emebat, hinc licet filiae ad successionem bonorum paternorum vocarentur, nihilominus tamen dotem adferebant, veluti complementum pretii, quo a viris coëmtae fuerunt. Coëmebat itaque vxor lares & Deos penates mariti, vt sacrorum eius particeps fieret, coëmebat quoque vir vxorem, vt exhibet marmor vetustum b)

COS. AUG. PUB. CLAUDIO. QUAES.
AER. ANTONINAM. VOLUNIAM.
VIRGINEM. VOLENT. AUSPIC. A
PARENTIBUS. SUIS. COEMIT. ET
IIII FAC. IN. DOM. DUXIT.

Ad alteram autem dotis constitutae rationem quod attinet, ideo marito pecuniam seu alias res siue immobiles siue mobiles vxor adferebat, quo a concubina distingui posset, quae indotata in amplexum viri veniebat. Neminem fugere potest, apud Romanos concubinae nomen non solum honestum, verum etiam consuetudinem cum ea licitam fuisse, c) immo eam ab vxore solo delectu & animi destinatione diuersam fuisse, nec quidquam inter eas nisi dignitatem interfuisse. d) Hinc vxoris loco esse dicebantur, immo conuictrices, vxores gratuitae, sodalitariae amicae vocabantur, aliisque splendidioribus ac honestioribus huius generis appellationibus insignitae

fuerunt, vt marmora a GRVTERO, REINESIO aliisque viris de elegantioribus litteris bene meritis seruata, satis testantur. Moris ideo fuit, istas vxores, quae indotatae viris nupserant, concubinarum instar habere, teste PLAVTO, apud quem LESBONICVS adolescens haec profert: e)

Nolo ego mihi te tam prospicere, qui meam egestatem leues
Sed vt inops, infamis ne sim, ne mihi hanc famam differant
Me germanam meam sororem in concubinatum. Tibi
Sic sine dote dedisse magis, quam in matrimonium.

Solebant saepius filiabus pauperum ex aerario publico dotem dare, vt SENECA de filiabus Scipionis testatur: f) *Scipionis filiae ex aerario dotem acceperunt, quia nihil illis reliquerat pater.* PAPINIANVS quoque de SEVERO imperatore scribit, g) eum Flauii Athenagorae filiae dotem dedisse. Quae igitur vxorum Romanarum conditio omnino exigebat, vt maritis dotem adferrent, quo & iuris sacrorum participes fieri & a concubinis distingui possent.

a) *L. 2. D. de iur. dot.*
b) *Rosin. in Antiq. Rom. p. m. 968.*
c) *L. 144. de V. S.*
d) *L. 5. C. ad SC. Orphit. L. 49. §. 4. D. de leg. III.*
e) *Trin. Act. 3. Scen. II. v. 62.*
f) *In consolat. ad Heluiam c. XII.*
g) *L. 6. §. 1. D. de vsur.*

§. III.

Dotis constitutae His praemissis rerum pertractandarum ordo ad ipsam argumenti tractationem nos ducit, de quo pauca

ea differere nobis proposuimus. Germaniam cum iure Romano dotem quoque recepisse non opus est vt copiosius demonstremus, cum res omnibus nota ac manifesta sit. Quod itaque ad diiudicandas lites, quae circa dotes oriri possunt, attinet, earum decisio non tam ex iure patrio quam ex iure Romano petenda est. Quae cum ita se habeant, operae nos pretium facturos esse putauimus, si quantum nobis licet, inuestigaremus, an quoque vxor ratione earum rerum, quas dotis nomine martito adfert, ab eo fideiussores petere, aut alius loco vxoris illos exigere possit? Nolumus iam omnia repetere quae de fideiussoribus dici possunt. Quum enim fideiussio nil aliud sit, quam *contractus verbalis, quo quis alienae obligationi ita accedit, vt quod alius debet, se soluturum promittat, saluo manente debito principali,* a) eaque in omni obligatione locum habeat, b) illa eo magis dotis constitutioni accedere posse videtur. Quamuis enim maritus aliquod dominium pro natura rei in dote consequatur, c) rem dotalem vindicare, d) ratione nominum in dotem datorum actionem vtilem personalem sine cessione aduersus debitorem mouere, e) fructus adquirere, f) immo etiam ob onera matrimonii res necessarias, quae dotem augent, percipere possit; g) nihilominus tamen ius dotis valde restrictum est, ita vt vxor eam possidere & domina dotis manere dicatur, h) cuius dominium, etsi constante matrimonio quiescat, nihilominus tamen eo finito reuiuiscit. Maritus enim dotem alienare nequit, quae alienatio adeo prohibita est, vt ne consentiente quidem vxore ea recte procedat, i) nisi biennio post repetitus fuerit vxoris consensus. k)

finis. An vxor eius nomine fideiussores a marito exigere possit?

Tacea-

Taceamus alia priuilegia, quibus vxor ratione dotis gaudet. Ex his igitur ſatis apparet, omnino e re vxoris eſſe, vt poſt obitum mariti dotem ſaluam habeat, quo digne ſe alere poſſit. Saepius enim accidit, vt homines prodigi bonis muliercularum inſidientur, diuitumque connubia quaerant, non vt cum illis vitae conſortio fruantur, ſed potius vt habeant, vnde genio ſuo indulgere poſſint, qui diſſipatis atque dilapidatis coniugum bonis, eas poſtea turpiter deſerunt, easque in maximam rerum miſeriam ac calamitatem depellunt. Ergo non denegandum eſſe videtur, id, quod in ſecuritatem creditorum conſtitutum eſt commune remedium, vxoribus, vt dotis cauſa a maritis ſuis fideiuſſores exigere queant, cum earum maxime interſit, vt olim dotes ſuas ſaluas habeant.

a) *L. 1. §. 8. D. de O. & A. L. 65. D. de fideiuſſ.*
b) *L. 1. L. 8. §. 1. D. eod.*
c) *pr. I. quib. alien. lic. vel non. L. 75. D. de iur. dot.*
d) *L. 9. C de R. V.*
e) *L. 71. D. de iur. dot. L. 2. C. de O. & A.*
f) *L. 7. pr. D. de iur. dot. L. 20. C. eod.*
g) *L. 7. §. 12. D. ſol. matrim.*
h) *L. 15. §. 3. D. qui ſatisdar. cog.*
i) *pr. I. quib. alien. lic. vel non.*
k) *Auth. ſiue a me. C. ad SC. Vellej. Nou. 61. c. 1. Secundum theoriam hoc rectius negatur, loquitur nouella, ad quam prouocant de interceſſione & donationibus propter nuptias, interim biennio poſt conſenſus vxoris firmatur, ſi modo ex bonis mariti dotem ſuam recipere poſſit.*

§. IIII.

Dotis fideiuſſio

Non aduerſatur aequitati naturali fideiuſſio dotis cauſa facta, immo illi eo magis conuenire videtur, quo arctius

arctius ad sui rerumque suarum conseruationem leges naturales quemlibet obligant. Ast aliter visum est summis legislatoribus, quibus talis fideiussio cum recta ratione prorsus repugnare visa est. Audiamus GRATIANVM, VALENTINIANVM & THEODOSIVM Augustos, Cynegio praefecto praetorio hunc in modum rescribentes: a) *Siue ex iure, siue ex consuetudine lex proficiscitur, vt vir vxori fideiussorem seruandae dotis exhibeat; tamen eam iubemus aboleri.* Hanc constitutionem repetiit IVSTINIANVS sequentibus verbis: b) *Generali definitione constitutionem pristinam ampliantes, sancimus nullam esse satisdationem, vel mandatum pro dote exigendum, vel a marito, vel a patre eius, vel ab omnibus qui dotem suscipiunt. Si enim credendam mulier sese suamque dotem patri mariti existimauit: quare fideiussor, vel alius intercessor exigetur, vel causa perfidiae in connubio eorum generetur.* Haec imperator. Videmus ex his eum prohibitionem antecessorum suorum Augustorum non solum amplificasse; verum etiam rationem huius prohibitionis adiecisse, nimirum ne causa perfidiae oriretur. Pulchre enim addit, non decere vxorem fideiussores exigere ab eo, cui animum & corpus credere haud recusauit. Eandem autem prohibitionem in C. Theodosiano, c) inuenimus, vbi Imperatores Valent. Theod. & Arcad. Martiniano rescribunt: *omnium sponsorum vel fideiussorum deinceps in cauenda dotis sponsione promissiones absoluimus*, quam prolixioris cuiusdam constitutionis partem esse Gothofredus ad h. l. coniicit. Quodsi hasce constitutiones paulo curatius examinamus, nobis certe felicitati matrimoniorum consulere voluisse,

LL. Cod. interdicta.

optimi principes videntur. Omnem matrimonii felicitatem atque vinculi coniugalis perfectionem in eo consistere rati sunt, vt coniuges amore vero se inuicem prosequantur, & vt cum vna caro sint, vnam quoque animam efficiant, immo vitam coniugalem ita comparatam esse debere voluerunt, vt coniuges sui desiderium tanquam optimam famam post mortem relinquant, quo omnibus testificarentur, se vixisse sine crimine, sine macula & querela, sine controuersia sine bile, d) seu vt illud Horatianum illis adclamari possit: e)

Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus querimoniis
Suprema citius soluet amor dies.

Iam vero isti felicitati coniugali nil magis obesse potest quam foeda perfidia, si discordes inter se sunt, & cum mutuo amore se amplecti debeant coniuges, mutuo odio inuicem se persequuntur. Ad quam igitur exstirpandam tanquam omnium malorum radicem, quae vnquam matrimonia foedare ac turbare possunt, imperatores nostri hanc dotis fideiussionem tollendam esse iudicarunt. Quid enim sperandum fuisset, si ab initio immo iam ante matrimonium consummatum semina perfidiae spargerentur, quae res nimirum efficeret, vt durante postea matrimonio semper aliud ex alio proueniret malum, atque ea, quae OVIDIVS f) canit, euenirent:

Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.

a) *L. 1. C. Ne fideiuss. vel mandator. dotium dentur.*
b) *L. 2. C. eod.*

c) *L. 2.*

c) *L. vn. Theod. ne fidei. dot. dent.*
d) *v. inſcriptiones ap.* GRVTERVM ET REINESIVM &c.
e) HORATIVS *L. 1. carm. od. 13.*
f) *Metamorph. L. 1. v. 146.*

§. V.

Non putamus nos opus habere aliam reddere huius prohibitae fideiuſſionis rationem, ac illam quam imperator l. c. eleganter exhibet, vbi inquit: ne cauſa perfidiae in matrimonio generetur. Et ſane quid magis a ratione alienum eſt, quam dotem non credi marito, cui ſe ipſam credere vxor non dubitauit. Hinc eo magis iſta fideiuſſio rectae rationi contraria eſſe imperatori viſa eſt, vt, cum mulier ſuum animum ſuamque vitam marito credat, bona non committere velit, fidemque magis alieni hominis, id eſt fideiuſſoris ſequi, quam amicitiae, fideique mariti ſe tradere. Et fideiuſſores & mandatores dotis imperatores admittendos eſſe prohibent in ſuis conſtitutionibus. Illi qui ſint, ex LL. §. III. allatis apparet, nempe qui alienae obligationi accedunt, per mandatores autem illi intelligendi ſunt, quorum mandato vxor marito dotem dat. Secundum imperatoris mentem itaque maritus fideiuſſores dare non cogitur, ſiue lex adſit ſiue conſuetudo, quae fideiuſſionem iſtam probet. Cuius conſtitutionis veram rationem Ill. LEYSERVS a) ex zelotypia Italorum aliarumque gentium verſus orientem ſpectantium deriuandam eſſe exiſtimat, quae an vera ſit, lectoris ſit iudicare. Vtraque enim conſtitutio tum ea, quam Theodoſianus codex exhibet, tum Iuſtinianea ad gentes Orientis directa eſt, illa Martiniano Comiti Orientis, haec Cynegio eiusdem praefecto data, qui orienta- *Cuius prohibitionis ratio explicatur.*

lis imperii limes tunc luxu in viris & mulieribus diffluebat, quod ex Misopogone IVLIANI ostendit GOTHOFREDVS l. c. Alia certe placuit MOLINAEO, b) qui propter frequentiam matrimoniorum fideiussores dotis non admitti, scribit, qui si admitterentur breui accidere posset, vt omnes ciues fideiussionibus impliciti essent futuri, qua ex re indubie lites in immensum orirentur, quam ad mentem imperatorum propius accedere non negamus. Quodsi enim zelotypia vera huius prohibitionis ratio esse debuisset, certe Augustos nostros alias quoque leges ferre, easque ad alios applicare casus oportuisset, ex quibus haec matrimoniorum pestis oriri potest. Sed nobis magis studuisse videntur, omnem perfidiae causam remouere, quam talis fideiussio post se traheret, & cauere, ne societas coniugalis litibus implicaretur, quae sanctum hoc vinculum turbare & multos ab eo deterrere possent. Nostram quoque sententiam affirmat *L. 8. C. de pact. conuent.* vbi THEODOSIVS & VALENTINIANVS Augusti Hormidae ita rescribunt: *Hac lege decernimus vt vir in his rebus quas extra dotem mulier habet, quas graeci parapherna dicunt, nullam vxore prohibente habeat communionem, nec aliquam necessitatem ei imponat. Quamuis enim bonum erat mulierem quae se ipsam marito committit, res etiam eiusdem pari arbitrio gubernari; attamen quoniam conditores legum aequitatis conuenit esse fautores, nullo modo* (vt dictum est,) *muliere prohibente virum in paraphernis se volumus immiscere.* Excepta est sola dos, quam vxor marito tuto committere possit, ne durante matrimonio perfidiae causa generetur.

a) *Spec. 523. m. 8.* b) *De vsur. n. 254.*

§. VI.

§. VI.

Diximus §. superiori, imperatorem dotis fideiussionem, quam in Codice Theodosiano quoque prohibitam inuenimus, a) nihilominus illicitam atque inualidam declarasse, etsi lex aut consuetudo adsit. Ad veteres leges ac mores nobis respexisse videtur, secundum quos, inprimis apud Romanos ista valida atque permissa fuit. De dote constituenda certe non est, quod dubitemus, quin & ante & post nuptias fideiussor ei accedere potuerit. Satis id indicant verba VLPIANI b) qui omni obligationi fideiussores accedere posse, affirmat. Sed & dote iam constituta apud Romanos fideiussores exigi potuisse, in aprico est; c) ita tamen, vt haec fideiussio post nuptias a marito data, non obligaret, ante nuptias autem firma validaque haberetur, obseruante CVIAÇIO. d) Neque exemplis caremus, quae id pluribus ostendunt. Testem habemus MACROBIVM e) qui hac de re sequentia tradit: *Nam Asina, inquit, cognomentum Corneliae gentis emto fundo, seu filia data marito cum sponsores ab eo sollenniter poscerentur, asinum cum pecuniae onere produxit in forum, quasi pro sponsoribus praesens pignus.* Patet idem ex L. 24. §. 2. D. *sol. matrim.* & *L. 7. pr. D. de except.* Iam vero inter omnes constat, eos, qui extra iudicii locum se pro aliis obligarunt, fideiussores, sponsores adpromissores, fideipromissores appellatos fuisse. f) Quare non dubitandum est, quin tales fideiussiones apud Romanam gentem stipulationum, obligationum formularum alias tenacissimam, receptae fuerint, neque videmus, quae GOTHOFREDVM mouere potuerint, qui haec in dubium vocauerit, g) cum

Iure veteri Romano valida erat.

si morum huius gentis rationem habemus, hanc fideiussionem optime conuenire illis videamus. Accedit quod apud Romanos istae fideiussiones eo magis adhibendae fuerint, quo frequentiora ante L. Iuliam & Papiam Poppaeam diuortia in vsu fuerunt, quum saepius mariti vxorum dotes dissiparent, posteaque illas res suas habere iuberent, & ob leuissimas causas domo eiicerent. At quoniam maritus si diuortii causa non admodum grauis erat, dotem lucrabatur, hinc facile patet vxorum interfuisse, quo sibi prospicerent, vt saltem dotem saluam haberent, cum tristis vox earum aures personaret:

Collige Sarcinulas, (dicet libertus) & exi
Iam grauis es nobis, & saepe emungeris exi
Ocyus & propera; sicco venit altera naso. h)

a) *L. 1. C. Theod. ne fid. dot. dent.*
b) *L. 1. D. de fideiussor.*
c) *L. 1. C. Theod. ne fid. dot. dent.*
d) *Paratit. C. ne fid. dot. dent.*
e) *Libr. I. Saturn. c. VI.*
f) HEINECCIVS *in S. A. I. L. III. t. XXI. §. IV.*
g) *In Commentar. ad C. Theod. L. 1. ne fid. dot. dent.*
h) IVVENALIS *Satyr. I. v. 141.*

§. VII.

Eam hodie admittendam esse multi negant.

Vidimus hactenus dotis indolem atque prohibitionem imperatoriam ne eius nomine fideiussores dentur. Iam alia se se nobis obiicit quaestio, an legis huius prohibitio hodie vsum habeat, ita, vt secundum nostros mores ista fideiussio inualida dicenda sit? Quodsi tot magnorum virorum auctoritates sequi vellemus, res facilis esset negotii, quid de hac quaestione statu-

ſtatuendum ſit, definire, & cum IVSTINIANO talem fideiuſſionem haud admittendam eſſe, declarare. Non negandum eſt, rationes quas imperator attulit, ita eſſe comparatas, vt extra omnem dubitationis aleam poſitae eſſe videantur, cum eo ſint directae vt matrimonia nullis litibus implicarentur, quarum exitus ſemper funeſtus eſſe ſolet. Hinc etiam nemini mirum videri poteſt, ſi tot magni nominis viri eas amplexi ſunt ac defenderunt. Accedit iuris Iuſtinianei auctoritas & vſus in foris germanicis, & legum patriarum defectus, quae de hac re parum vel plane nihil determinarunt. Quum igitur in defectu patriarum legum auctoritatem iuris Romani ſequi ſoleamus, facile apparet, cur iſta ſententia defenſores ſuos inuenerit. Ad haec omnia venit, quod cum dos, Germanis olim ignota, a Romanis in nos deriuata fuerit, eius iura ſecundum iuris Romani principia ſola eſſe diiudicanda putarunt. Quae cum ita ſe habeant, operae pretium eſſe duximus, ſi diuerſas iuriſconſultorum ſententias afferamus, antequam noſtrum hac de re iudicium laturi ſimus, quo facilius diiudicari poſſit, an huic conſtitutioni imperatoriae hodie ſtandum, an autem alia ſententia amplectenda ſit.

§. VIII.

Quorum argumenta adferuntur.

Quaeſtionem, vtrum vxor dotis nomine fideiuſſores a marito exigere poſſit, plane inutilem, ſuperfluam nullaque diiudicatione dignam eſſe, iudicauit, WISSENBACHIVS a) quia vxor vi legis 30, *D. de iur. dot,* in bonis mariti hypothecam habet, immo etiam in bonis eius, qui illam promiſit, ſecundum

L. vn.

L. vn. §. I. *C. de rei vxor act.* Dotis quoque nomine fideiussores haud dandos esse, putat HILLIGER in Donello enucleato, b) vbi aliorum virorum sententias recenset, quibus suam confirmat. Neque praetereundus est, qui de fideiussoribus ex instituto scripsit, HERINGIVS, c) eos non admittendos esse, pariter existimans, quem in finem multas rationes adducit. Pro huius sententia quoque militat BRVNNEMANNVS, d) qui istam rationem addit, ideo inualidam esse hanc dotis fideiussionem, quia mulier ne quidem legi huic prohibitiuae renunciare possit. Nam cum caetera mariti bona vxori tacite obligata sint, idem intuitu dotis dicendum esse putat, quae praeterea multis priuilegiis gaudet. Immo ne tunc quidem fideiussionem validam esse arbitratur, si extraneus de dote restituenda sibi stipulatus sit. Nolumus autem recensendis aliorum virorum sententiis diutius immorari, cuius causa ad HILLIGERVM & BRVNNEMANNVM, qui eos citarunt, lectorem ablegamus. Omnia enim eorum argumenta eo redeunt, vt ideo talis fideiussio haud permissa sit, quia amore, non cautionibus, matrimonia constare debent. Ex his sequi videtur, vt nec sponte oblatus fideiussor ab vxore acceptari possit, quia huic iuri prohibitiuo vxor renunciare haud queat, cum hoc priuilegium non singularibus personis, sed vniuerso sexui datum sit. Argumentum quoque peti solent, ex *L.* 21. *D. de R. I.* quae ita se habet: *non debet, cui plus licet quod minus non est non licere.* Quum itaque maius sit vita, minus autem bona, recte argumentatio procedere videtur, quam imperator l. c. tradit: si enim credendam mulier sese

suam-

ſuamque dotem patri mariti exiſtimauit, quare fideiuſſor vel alius interceſſor exigitur. Ergo inutilis eſſe videtur iſta fideiuſſio quae dotis nomine fit, cum marito vxor ipſam vitam & animam, quibus nil maius, nil carius habet, committat.

a) *t. D. de fideiuſſor.*
b) *Libr. XV. n. f.*
c) *De fideiuſſor. c. 6. n. 140.*
d) *Ad C. h. tit. ne fideiuſſor. dot. dentur.*

§. VIIII.

Quamuis finis, quem in promulganda iſta conſtitutione, ne fideiuſſores dotium dentur, imperatores ſibi propoſuerunt, laudandus, immo vix impugnandus eſſe videatur; nihilominus tamen aliud ſtatuendum eſſe putamus ſi de eius vſu hodierno rectam ferre ſententiam velimus. Commune hoc habet ſocietas coniugalis cum aliis, vt multis malis multisque euentibus triſtioribus obnoxia ſit, qui ſaepius iſtam turbant ac miſeram reddunt, vel ea finita magnis altercationibus occaſionem praebent. Enimuero ſaepius accidit, vt, quamuis vxor marito ſe commiſerit, nihilominus tamen bonorum quae ipſi credidit, iacturam faciat, cum poſt conſummatum matrimonium nouellus maritus ea diſſipare incipiat & coniugalis amoris mox oblitus, parum curae habeat, vnde coniux ſuperſtes olim alimenta capere debeat. Fingamus maritum eſſe helluonem, prodigum, hominem deperditum, vxorem contra diuitem, vnde illa dotem ſuam ſaluam habere vult, ſi ipſe maritus omnibus opibus deſtitutus eſt? Quantae non mouentur lites, vbi de probanda dotis illatione

Fideiuſſionem dotis haud reiiciendam eſſe oſtenditur.

quaeſtio occurrit? Quodſi igitur ſaeculi praeſentis rationem habemus, in quo tales controuerſiae plus audiuntur, quam vnquam auditae ſunt, tantum abeſt, vt iſtam fideiuſſionem improbemus, vt potius iure meritoque eam admittendam eſſe, cenſeamus, cum optimum remedium elargiatur, quo tot tantaeque funeſtae lites euitari queant. Recte Ill. LEYSERVM a) iudicare arbitramur, cum dicit: *Fateor maius eſſe corpus, minus bona. Aſt ſubordinata non ſunt. Vnum enim ſine altero eſſe poteſt. Accidit ſaepe vt iuuenis vitam ſuam animumque praeceptori formandum committat, cuius fidei nec minimam bonorum ſuorum partem crederet. Et magiſtratus ſaepe facultatem habent vitam delinquenti, non etiam bona auferendi. Nou. 134. c. vlt. C. C. C. A. 218. cur ergo foeminae non licet, ſe corpusque ſuum marito ſine cautione committere, quum ratione eius nullum periculum immineat; ſed pro dote & bonis, de quibus ſecura non eſt, fideiuſſionem exigere? nec eſt, quod pudicitiae eius cum imperatore timeas.* Haec LEYSERVS. His quoque addi meretur, quod cum dotis nomine a marito pignora recte accipiantur, b) non eodem iure ab eo fideiuſſores exigi debeant?

a) *Sp. 523. M. 8.*
b) *L. 7. §. 6. D. de donat. inter vir. & vxor.*

§. X.

Id quod multi agnouerunt, qui tamen va-

Non defuerunt autem magni nominis iureconſulti, qui aliud ſtatuendum eſſe agnouerunt, atque priuilegium in fauorem mariti doti datum omni ratione carere animaduerterunt, licet illud impugnare & plane reprobare non auſi ſint. Quam igitur ob rem ad hoc

hoc restringendum multas distinctiones & cautelas excogitarunt, quibus fideiussionem dotis corroborare studuerunt. Ita eam validam esse pronunciat IOANNES BRVNNEMANNVS a), si maritus ad inopiam vergat. Nititur potissimum iuris canonici auctoritate, b) & huic quoque sententiae subscribunt THOMINGVS c) & SCHNEIDEWINVS. Vlterius autem progreditur CARPZOVIVS d), qui cautionem pro dote ab initio & ante sponsalia contracta recte exigi putat, quod nec tum a marito, sed ab eo, qui maritus adhuc speratur, cautio petatur, quam promissam post matrimonium contractum praestare tenetur. Immo & tum cautionem pro dote praestandam esse putat, si eam non petat ipsa mulier, sed is, qui ex necessitate dotem soluere debet, vt pater patrisue heres aut debitor, quisque ille sit, qui ad dotem constituendam teneatur. e) Maritum porro volentem valide fideiussores dare pro dote, ac titulum *C. ne fideiussor. dot. dent.* non tam prohibere dationem fideiussorum, quam ne quis inuitus fideiussoribus cauere cogatur, putat DVARENVS. f) Inter fideiussorem de dote conseruanda & fideiussorem de dote soluenda distinguunt, & hunc, non illum admittunt alii. g) Alii fideiussorem ab extraneo nomine mulieris recte accipi putant, & vt id commode fieri possit, extraneum illum pro vxore dotem expromittere, id est, nouandi animo in se suscipere iubent, id quod inprimis CORVINVS innuit. h) Iureiurando hanc fideiussionem confirmandam esse existimat GVTTIEREZ, i) BALDVS autem coniunctam personam fideiubere posse dicit l) GAILIVS m) fideiussorem, si qua marito obaerato scienter nubat, admittit,

rias distinctiones circa eius admissionem excogitarunt.

mittit, solus HART. PISTOR n) maritum sua sponte fideiussores recte dare eosque ita obligari contendit. Plures virorum doctorum de hac quaestione sententias, sistit, quem saepius iam laudauimus Ill. LEYSERVS. o)

a) *Exercit. Iustin. XVIIII. §. 1. I. de fid.*
b) *Dec. 58. n. 4.*
c) *In comment. ad I. tit. de fideiuss. n. 12.*
d) *P. II. c. 42. d. 17.*
e) *L. 33. D. de iur. dot.*
f) *In tract. Sol. matr. tit. de dot. c. 4.*
g) *Apud Bartol. in L. Si const. §. quot n. 2. 3.*
h) *Ad tit. C. Ne fid. dot.*
i) *De iuram. confirm. P. I. c. 21.*
l) *Nou. de dot. priuil. 21. n. 4.*
m) *L. II. obs. 84. n. 9.*
n) *Obs. 35.* o) *l. c.*

§. XI.

Fideiussio dotis moribus Germanorum non aduersatur.

Quaeras itaque quaenam sententia in lite tam ardua praeferenda sit? Nos hanc quaestionem ex moribus ac legibus patriis magis, quam ex iure Romano decidendam esse arbitramur. Dotem iure Romano a Germanis recepto simul quoque receptam esse, certo certius constat. Hanc tamen differentiam animaduertimus, dotem iure Romano esse omne id, cuius dominium ciuile in maritum transfertur; at Germani per eam illud intelligunt, quod pater, mater, cognatus vel ipsa vxor sub initium nuptiarum ad sustinenda matrimonii onera marito tradit. Quamuis haec verissima sint; tamen Germanica gens in constituenda dote non eandem rationem secuta est, ad quam Romani potissimum respexerunt. In eo quidem mores

res

res patrii cum Romanis conueniunt, quod etiam in compensationem onerum matrimonii destinata esse debeat, sed altera ratio cessat, quo vxor a concubina distingueretur. Sic olim quoque ante dotis in Germania vsum omnia, quae vxor marito adferebat, in suppellectile ac pecorum apparatu consistebant, quae communi societatis coniugalis vsui destinata erant. a) Ad hunc quoque finem, quo vxor digna conditione sua alimenta defuncto marito habere possit, ex iure Germanico hodie seruatur dotalitium. Quae cum ita se habeant, quisque intelliget, quantum vxoris intersit, dotem saluam habere, & cum melius sit dotis iura ab initio seruare salua, quam post vulneratam dotis causam remedium quaerere; b) non dubitamus, quin hodie vxor dotis causa a marito fideiussores petere possit.

a) Ill. ESTOR *in diss. de apparatu & instructu nuptarum.*
b) *L. vlt. C. in quib. caus. in integr. restitut. necessar. non est.*

§. XII.

Germanam gentem omnium subtilitatum ignaram, quas ad firmanda corroborandaque pacta praetor Romanus excogitauit, simplicem tantum & naturalem obligandi rationem secutam esse, omnes norunt. Erant autem secundum priscos Germaniae mores omnia pacta valida, quae honesta fuerunt, omnique obligationi accedere potuerunt. Quare etiam nulli dubitamus, quin secundum priscos Germaniae mores fideiussio pro dote exigi queat, cum nil inhonesti aut iniqui in se contineat. Etsi enim vxor marito corpus suum credat, ideo tamen non sequitur, vt non ratione dotis

Apud Germanos omnia pacta valida erant, modo honesta fuerint.

   ab

ab eo fideiussores petere possit. Non enim haec subordinata sunt, vt recte LEYSERVS l. c. a) monet, & vnum sine altero esse potest. Nobis igitur magis argumentatio placet, omnem conuentionem, quae nulla iniustitia aut turpitudine laborat, licitam esse aeque obligationi accedere posse, hinc etiam fideiussionem pro dote ne quidem excludendam esse censemus. Si enim tantus semper inter coniuges esset amor, quantum esse oportet, nec saepius coniux coniugi diffideret, omnino cum imperatore statuendum esset, nec fideiussores nec pignora nec expromissores dotis causa exigendos esse. Dum vero haec praesentis saeculi conditio sit, non plane improbanda est haec fideiussio dotis causa facta quum nil turpe praeterea redoleat. b) Adeoque etiam factum est, vt moribus diuersorum locorum, vt mox indicaturi sumus, recepta sit.

a) *Spec. 523. M. 8.*

b) SENECA *de benef. III. c. 15. Vtinam*, inquit, *nulla stipulatio emtorem venditori obligaret! nec pacta conuentaque impressis signis custodirentur! fides potius illa seruaret, & aequum colens animus! sed necessaria optimis praetulerunt, & cogere fidem, quam spectare, malunt. Adhibentur ab vtraque parte testes: ille per tabulas plurima nomina, interpositis parariis facit. Ille non est interrogatione contentus, nisi rem sua manu tenuit. O turpem humano generis fraudis ac nequitiae publicae confessionem! Annulis nostris plus, quam animis, creditur.*

§. XIII.

Iure Weichbildico fide-

Quae de fideiussione dotis secundum mores Germaniae valida diximus, iura patria confirmant. Ita iure Weichbildico a) statutum est: Dieweil ihr ihr

Ehe-

Ehegeld nicht geleistet wird, daß ihr gelobet ward, da sie ihren Mann nahm, darf sie auch die Gewehr des Guts nicht räumen, die Erben weisen sie denn ab mit Recht, oder mit Güte. Hat sie aber Bürgen dafür, so darf sie die Erben nicht mahnen, weder in der Güte noch zu Recht, so soll sie die Gewehr räumen und dem Gelübde der Bürgen folgen. *iussio dotis permittitur.* Adeo autem omnia istis verbis determinata sunt, vt satis ex illis appareat, non solum vxori facultatem a marito dotis causa fideiussores exigendi competere; verum etiam istam fideiussionem licitam, honestam & firmam esse. Vindicatur possessio fundi vxori tamdiu, quamdiu ipsi dos illata nondum reddita est. Denegatur autem illi actio contra heredes, si a marito fideiussores dotis causa accepit, quos hoc casu dotis restituendae gratia conuenire potest. Obiici quidem posset huic dispositioni, non opus esse vxori fideiussoribus, cum iam retinendi fundum mariti ius habeat, donec ei ratione dotis illatae satisfiat. Sed bene animaduertendum est, vxori hoc in casu probationem incumbere, dotem a se vere esse illatam. Ab hoc autem probandi onere vxor liberatur, si maritus ei fideiussores dedit, quorum fidem sequitur, quibus etiam dotis restituendae causa litem mouere potest. Immo non solum respectu vxoris fideiussionem hanc admittendam esse arbitramur, verum etiam intuitu liberorum, quo etiam hic ratione maternorum securitatem habeant. Idque eo magis necessarium esse videtur in casu, si defuncta vxore maritus ad secunda vota transit. Quamuis enim dos ad liberos prioris matrimonii pertineat,

tamen

tamen eius vſusfructus parenti competit, hinc maxime liberorum intereſt, dotem olim ſaluam habere.

a) *Art. 24.*

§. XIIII.

Vſus eius in Pomerania maximus.

Praeter textum allegatum aliorum quoque locorum ſtatuta hanc dotis fideiuſſionem comprobant, ex quibus ſimul patet, eius vſum maximum eſſe. De Pommerania id teſtatur MEVIVS, a) ius commune ibi ratione fideiuſſorum pro dote conſeruanda datorum non amplius in vſu eſſe eosque non attenta eius diſpoſitione contraria condemnatos fuiſſe. Vbi vero ſingularia prouinciarum ſtatuta iuris Romani diſpoſitionem non admittunt, ibi res extra omnem dubitationem poſita eſt. Sed recte argumentum pro defendenda iſta fideiuſſione petitur, quod illi, vt ſupra monuimus, nulla turpitudo inſit, neque metuendum ſit, ne cauſa perfidiae inde oriatur.

a) *P. V. D. 236.*

§. XV.

Approbatur etiam iur. can.

Licere vxori dotis cauſa a marito fideiuſſores exigere corroborat ius canonicum, cuius in foris noſtris maxima auctoritas eſt. Nullam recte rationem legum Romanarum habuit, INNOCENTIVS III. Pontifex a) immo in caſu, quo maritus cautionem praeſtare nequit, dotem mercatori committere & vſuras inde redactas marito ad onera matrimonii ſuſtinenda ſoluere iubet. Ita enim expreſſe ſanxit: *Per veſtras litteras intimaſti, quod cum magiſtrum R. ſuper quadam ſumma pecuniae pro H. paupere auctoritate noſtra curaueritis*

con-

conuenire: quam idem H. pro dote vxoris ſuae requirebat, ab eo dictus R. exceptionem oppoſuit contra ipſum, quod vxorem ſuam a ſe repulerat & tacita veritate ſuper hoc litteras impetrauerat, quia cum ſupra eadem dote alia vice coram veſtrae ciuitatis conſulibus quaeſtio mota eſſet, ipſi pronunciauerunt, vt quoniam idem H. ad inopiam vergere videbatur, dos illa non adſignaretur eidem, niſi cautionem idoneam de ipſa non peritura praeſtaret: vnde vos ei vt de ſaluanda dote caueret, & vxorem ſuam reciperet, praecepiſtis. Cum ergo ſatis poſſit ei modicum credi dotis, cui creditum eſt corpus vxoris, mandamus quatenus dotem adſignari faciatis eidem ſub ea, quam poteſt cautione praeſtare, vel ſaltem alicui mercatori committi, vt de parte honeſti lucri dictus vir onera poſſit matrimonii ſuſtentare: ne occaſione dotis detentae vxor a viro dimiſſa, ſeu vir qui dimiſit vxorem, adulterii reatum incurrat.

a) *C. 7. X. de donat. int. vir. & vxor.*

§. XVI.

Nec non certo reſpectu iure ciuili.

Immo iuri Romano haec fideiuſſio quoque aduerſari haud videtur, quod ex eo confirmatur, quod pignus in ſecuritatem dotis vxori a marito dari poſſit, a) cur igitur non fideiuſſor? Diſtinguit quidem CVIACIVS b) inter pignoris & fideiuſſionis dationem, quam tamen differentiam vix ſubſiſtere arbitramur. Fideiuſſores maxime adhibentur, vt creditoribus caueatur c), eadem vero ratio eſt pignorum, atque ita finis

cendus est. Vbi vero maritus volens & sponte fideiussores constituit, omnino perfidiae metus cessat, immo potius eius cura, quo vxor olim dotem suam saluam habeat, laudanda est.

a) *L. 7. §. 6. D. de donat. inter vir. & vxor. L. 17. §. 1. D. ad SC. Velleian.*

b) *in tr. 4. ad African.*

c) *pr. I. de fideiuss. L. 1. D. qui satisdar. cog.*

§. XVII.

In Gallia olim quoque recepta fuit.

Agnouerunt id quoque exterae gentes, quae ab hac Imperatorum nostrorum dispositione abierunt, fideiussores simpliciter admittentes dotis causa. Ita apud Gallos fideiussores in matrimoniis ex vtraque parte interuenisse tabulae dotales docent, quibus Humbertus Belliioci dominus Elisabetham filiam cum dote ducentarum librarum annuarum Raynaudo de Foresio desponsauit, Raynaudus vero pro dotalitio medietatem terrae iuriumque suorum promisit, quae ita in fine se habent: a) *Nos vero dictus Humbertus Dominus Belliioci, de dicto matrimonio consummando & perficiendo, & de dictis ducentis libris Vienn. dotalibus assidendis, vt supra dictum est, damus dicto Raynaudo fideiussores & obsides Willelmum Chabue, Palatinum de Riozterio, Hugonem Palatini, Rudolphum Lotru, & Guidonem de Sancto Saturnio Milites, qui ad defectum nostrum promiserunt, per sacramentum super sancta Dei euangelia praestitum, & quilibet in solidum tamdiu tenere ostagia, apud Clepiacum in Foresio infra octo dies, postquam fuerint requisiti, donec de dicto defecto praefato Raynaudo & supra dictae Elizabeth plene fuerit satisfactum.*

factum. Ego vero dictus Raynaudus de dicto matrimonio a me consummando & perficiendo, de dicto Humberto domino Belliioci fideiussores & obsides Guidonem de Tyer Canonicum Lugdunensem, Hugonem de Coray Decanum Montisbrusonis, Fulcherium Guerrici, Willelmum de Augeroles Militis, & Willelmum de Verneto Burgensem Montisbrusonis, qui ad defectum meum promiserunt per sacramentum supra sancta Dei Euangelia praestitum, & quilibet in solidum tamdiu tenere ostagia apud Belliiocum infra octo dies, postquam fuerint requisiti, donec ipsum matrimonium fuerit perfectum, & etiam consummatum. Nos vero supra dicti Guido Comes, Raynaudus, Humbertus dominus Belliioci, & nos omnes supra dicti fideiussores, renuntiamus in hoc facto ex certa scientia, & sub praestito iuramento actioni & exceptioni doli, vel fraudis, neque metus caussa & legi dicenti pactum de futura successione non valere, beneficio epistolae Diui Hadriani, & omni auxilio, beneficio, & iuri Canonico & ciuili scripto & consuetudinario, promulgato & promulgando, quod nobis vel nostris aduenięndum contra praedicta, vel aliquid de praedictis posset competere modo aliquo vel prodesse.

a) D' ACHERY *in Spicil. t. 3. p. 623.* Sistit eas Ill. LEYSERVS *l. c.*

§. XVIII.

Satis nobis ostendisse videmur, dotis causa fideiussores admittendos esse, neque fideiussionem dotis causa factam bonis moribus aduersari, nil itaque restat

Fideiussores quis-

ſint? Diuerſa autem ratione haec fideiuſſio fieri poteſt. Nimirum poteſt fideiuſſores exigere is, qui ad dandam dotem obſtrictus eſt, vt in profectitia pater. Poteſt quoque mater aut alia perſona in dote aduentitia huius cauſa fideiuſſores petere. Vxor quoque recte eos a marito poſtulare, aut maritus eos offerre poteſt. Immo quamuis alii id negent, ob adductam prohibitionem; tamen conſtat, cuilibet iuri pro ſe introducto renunciare, permiſſum eſſe. Ita quoque vaſallus ratione dotis ex feudo filiae debitae fideiuſſores petere poteſt, quod de Pomerania laudatus MEVIVS a) teſtatur, ibi frequentiſſimum, pactis dotalibus nobilium, quae continent promiſſionem & ſtipulationem reſtitutionis dotis in caſum ſoluendi matrimonii, proximos conſanguineos aliosue vt fideiuſſores dotis aſſumi.

a) *l. c.*

§. XVIIII.

Et ante & poſt matrimonium contractum peti poſſunt.

Altera quaeſtio eſt, quonam tempore fideiuſſores dotis ab vxore peti debeant? Vt fideiuſſio ab initio & ante matrimonium conſummatum exigatur, vult CARPZOVIVS a) quippe quod nec tum a marito, ſed ab eo, qui adhuc maritus ſperatur, cautio petatur, quam promiſſam poſt matrimonium contractum maritus praeſtare teneatur. Sed cum IVSTINIANVS ob hanc rationem fideiuſſionem dotis potiſſimum prohibuerit, ne occaſio perfidiae generetur, iſta diſtinctio in fideiuſſores ante & poſt matrimonium a marito datos, rationem legis non excludit. Secundum mentem enim imperatoris omnia euitanda ſunt, quae matrimonia turbare, & perfidiam excitare poſſunt. Iam vero ſi ſponſa a marito futuro fideiuſſores hac ratione exigit,

igit, etiam ante matrimonium eius fidem ſuſpectam reddit, cum tamen illi ſe totam committere debeat. Hinc magis menti imperatoris conuenire arbitramur, vt neque ante neque poſt contractum matrimonium fideiuſſores dotis cauſa dentur, ſed vt in genere iſta fideiuſſio prohibita ſit. Quoniam autem iſtam diſpoſitionem noſtris temporibus haud conuenire iam oſtendimus, merito & ante & poſt matrimonium conſummatum fideiuſſores dotis & dari & accipi poſſe, putamus. Poteſt enim accidere, vt vxor ante matrimonium nullam rationem habeat exigendi a marito fideiuſſores, iam vero durante matrimonio euenit, vt inopinato maritus bona diſſipare aut ad inopiam vergere incipiat. Quum autem & reipublicae & vxoris interſit, dotem ſaluam eſſe, non videmus, cur non poſt contractum matrimonium vxor ſibi proſpicere & ad fideiuſſores ſibi ſiſtendos maritum adigere poſſit, cum fideiuſſio iſta nullam turpitudinem redoleat, inprimis cum vxor in aliis quoque contractibus conſtante matrimonio fideiuſſores poſcere queat. Interim cautelam eſſe pro vxore arbitramur, vt ante matrimonii conſummationem fideiuſſores petat, ne poſtea vel blanditiis vel minis mariti moueatur, quo minus eas exigat.

a) *P. II. c. 42. d. 18.*

§. XX.

Ex his apparet, datis fideiuſſoribus vxori eadem iura competere, quae alias aduerſus fideiuſſores locum habent. Hinc ſoluto matrimonio ab vxore recte con-

Fideiuſſorum dotis obligatio.

guitur, quibus alias obligationes fideiussoriae tolluntur. Sic v. c. exspirat, si ad certum tempus cum protestatione facta sit, vel lapsu temporis per exceptionem pacti vel doli fideiussor liberetur b), vel denique si vxor in mora vindicandi dotem extiterit, cum adhuc salua fuerit.

a) *L. 1. §. 4. D. de fideiuss.*
b) *L. 44. D. eod.*

§. XXI.

Itemque iura.

Pauca his, quae de fideiussoribus dotis disputauimus, adiicere non poenitebit de eorum priuilegiis, nimirum an illis quoque beneficia competentiae, ordinis, diuisionis & cedendarum actionum competant? Quod ad beneficium competentiae attinet, quamuis nonnulli id fideiussoribus vindicarint, illud tamen mere personale est, a) quae autem personis inhaerent strictissimae sunt interpretationis, adeoque fideiussoribus recte denegatur. b) Reliqua autem beneficia quin fideiussoribus dotis competant nulli dubitamus, cum omnibus communia sint. Quae cum ita se habeant, hoc quoque fideiussori dotis indulgendum esse putamus, vt in solidum conuentus opposita exceptione facile impetrare possit, vt obligatio inter confideiussores diuidatur, c) immo prius ad soluendum obstringi nequit, quam maritus excutiatur, d) Porro quoque, si plures dati sunt fideiussores, vni in solidum soluturo hoc indulgendum est, vt vxor ei actiones aduersus confideiussores cedere teneatur; quibus quod vltra ratam soluit a confideiussore repetere possit. e) Tandem quoque quaeri potest, an fideiussor dotis ex-

exceptione cessionis bonorum vti possit? quod etiam negamus, cum quoque nec foemina pro dote intercedens SCto Velleiano iuuetur. f) Nec maioris momenti est quaestio, num vxori in bonis fideiussoris tacita hypotheca & praelatio competat? quam optime MEVIVS g) diiudicasse nobis videtur, qui argumento *L. vn.* §. I. *de R. V. A.* vxori tacitam hypothecam competere ostendit, non autem ius praelationis, quod velut singulare priuilegium non competit, nisi lege concessum fuerit, quod dum nullibi in corpore iuris reperitur, mulieri in bonis aliorum quam mariti concessum, tribuendum haud est, aut citra constitutionem extendendum. Locum enim hic quoque habet regula iuris, quod priuilegia strictissimae interpretationis sint, nec vltra casum expressum extendi debeant.

a) *L. 13. D. solut. matrim.*
b) *L. 196. de R. I. L. 3. §. 1. D. de cens.*
c) *§. 4. de fideiuss.*
d) *Nou. IIII. c. 1.*
e) *L. 39. D. de fideiuss.*
f) *L. 12. L. 10. C. Ad SC. Vellei.*
g) *P. III. d. 326.*

T A N T V M.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

RESPONDENTI

FRATRI SVO DILECTISSIMO

S. P. D.

D. IO. FRIDER. EISENHART.

Si vnquam laeto animo in arenam disputatoriam descendi, maxima certe laetitia hodie adficior, cum TE, FRATER DILECTISSIME, *in eam comitari mihi contigit. Quamuis optimorum parentum obitus immaturus mature nos seiunxerit, & de* TVO *amplexu per aliquod temporis spatium me auulserit, disiunctos tamen iterum coniunxit alma* IVLIA CAROLINA, *quam ego nunc patriam meam veneror, vbi vterque nostrum Themidis atque musarum artes coluit. Non patitur arctissimum, quod inter nos sanxit natura, vinculum, vt in laudes* TVAS *excurram* TVAS*que animi dotes & singularem in pertractandis iurisprudentiae ac humaniorum litterarum studiis industriam publice celebrem. Iam saepius eiusmodi generis conflictui interfuisti, & tam respondentis quam opponentis officio cum laude functus es, quae res certissimam omnibus spem praebet,* TE *quoque talem* TE *praestiturum esse, qualem militem veteranum decet. Ex animo* TIBI *itaque de hoc specimine gratulor* DEVM*que* O. M. *precibus quam ardentissimis imploro, vt* TE *semper sospitem ac saluum praestare velit* TIBI*que omnia fausta euenire iubeat. Quod reliquum est, certus sis, me nihil vnquam eorum intermissurum esse, quae officium ac naturae vinculum a me postulant, meque per omnes vitae meae dies in eodem affectu in* TE *perseueraturum esse, quo* TE *a primis vitae* TVAE *incunabulis prosecutus sum. Vale. Dabam in* IVLIA CAROLINA *d. XXVIIII. Martii MDCCXXXXVIIII.*